

H. lit. biogr.

V

2383

<sup>o(5)</sup> Phil. Letter. part. 1981. biogr. I, 2383


~~P.~~

H6-FB

**SUB Göttingen**  
111 358 981

7





M E M O R I A  
LAURENTII DE CRELL  
COLLEGAE ET SODALIS SOC. R. SCIENT. GOT.

C O M M E N D A T A

I N

C O N S E S S U   S O C I E T A T I S

D. XIII. IULII MDCCCXVI.

I O. F R I D. B L U M E N B A C H.

---

G O T T I N G A E  
A P U D   H E N R I C U M   D I E T E R I C H.  
M D C C C X X .

LIBRARY OF  
LUDWIG TIECK

COTTAGE IN THE SWISS GOES A SOONER GOTTL

ATLAS MILES

11.

COLLEGE SOCIETATIS



GOTTITAGEN

1800. LIBRARY OF THE ROYAL ACADEMY OF GEORGIA

1800.

12.

**M**emoriam defunctorum sodalium confessu solemni recolere, et si neque statutorum societatis legibus ordinatum neque perpetua consuetudine usitatum sit, ad ipsa tamen pietatis et observantiae officia referendum videtur, quibus adeo et in funere Perillustris DE CRELL cuius obitu sodalitum nostrum nuper imminutum est, satisfacere, muneris ac partium mearum duco.

Praematura quidem aut plane inopina morte collegam  
coniunctissimum rebus humanis erexit esse, eatenus vix dixe-  
ris, cum aetate nos eius in hac societate sodales omnes ante-  
cesserit, valetudine autem in universum usus sit minus firma,  
corpo invalido et gracili, et si satis adhuc alaci et vegeto,  
donec sub initium quem vivimus anni marasmo senili languescere  
cepit, vires vitales in dies debilitante, demumque ita con-  
ficiente, ut die VII<sup>ma</sup> mensis superioris vivere desiverit aetatis  
annum agens LXXIII<sup>tiuum</sup>.

Natus enim erat d. xxi. Ian. MDCCXLIV. patre IOANNE  
FRIDERICO CRELL Lipsiensi, medicinae primum Vittebergae,  
tum apud Helmstadienses Professore qui academicas nonnullas

scriptiones, anatomici maxime argumenti edidit, in flore vero aetatis diem obiit, filiumque adhuc puerum vix trimum reliquit, cuius curam per proximum decennium suscepit mater-nus avus, LAUR. HEISTER, anatomica et chirurgica institutione celeber, etiam apud exteros meritorum et doctrinae fama clarus.

Verum si ex Nasonis dicto et genus et proavos et quae non fecimus ipsi vix ea nostra vocare licet, ad propria quibus de disciplina physico-medica, cui iam mature paterno avito-que exemplo incitatus se addixerat CRELLIUS, ipse mereri stu-duit accedamus.

Atque primum quantum novi doctrinae specimen invenire exhibuit MDCCXLVIII. dissertatione inaugurali contagium vi-vum lustrante, qua praesertim medici Vindobonensis M. ANT. DE PLENCIZ, in universum paradoxorum amantis somnia iam oblivioni tradita, de miasmatum morbosorum imo et putredini caufsa ad infecta et vermiculos microscopicos referenda, facili quidem negotio refutavit, non maiori vero probabilitatis Specie contagii materiam in alcali volatili quod hodie ammonium vocant, quaelivit.

Paulo postquam summos in arte salutari honores adeptus erat, litterario itineri se accinxit, in quo per aliquot annos ver-satus, praeter Germaniae, Hollandiae et Galliae partem in pri-mis Britanniarum regna invisit.

Interea nondum reduci Professoris locus in collegio Caro-lino Brunsvicensi oblatus est, unde vero exacto ibi quadriennio anno LXXIV<sup>to</sup> in academiam patriam evocatus primo Professo-ris medicinae ordinarii, novemque annis post cathedrae quo-que philosophicae munere ornatus ad officia per XXXVI annos pro virili parte sustinere studuit, donec anno huius seculi nono exeunte universitatis istius litterariae dissolutione imperata, musae Helmstadienses valere iuberentur.

Profes-

Professoribus vero almae matris Iuliae Carolinae iam suis temporibus defunctae tantum non omnibus in alias ternas academias dispersis quae tum temporis communi imperio usurpato subiectae erant, CRELLO sors contigit, ut vere proximo stipendio satis lauto ornatus facultatis medicae Professoribus ordinariis adscriptus Gottingam transferretur.

Cumque iam ab anno superioris seculi LXXVIII<sup>o</sup> inter amicos et familiares societatis regiae scientiarum cooptatus esset, iam inter sodales eius relatus confessibus nostris interdum audiendo, semel etiam ante hos quinque et quod excurrit annos recitando adfuit.

Et haec quidem de vitae curriculo collegae desideratissimi paucis enarranda sufficient. Scripta eius satis numerosa, quae Menselius in Germania erudita curate enumerat, praeter Excerpta ex Halleri nostri collectione disputationum academicarum practici argumenti, Kirwani aliorumque libros ex anglico idiomate in vernaculum versos, partimque accessionibus auctos, quos vero hic commemorare nihil attinet, maxime bina disciplinarum genera spectant; chemiam inquam et teleologiam.

Et de chemia quidem cum propriis experimentis, praesertim exploratione nonnullarum substantiarum hactenus nondum satis indagatarum, quarum mentionem posthac adhuc faciendi locus dabitur bene meruit: tum vero operibus menstruis aut alio modo periodicis unice huic disciplinae dicatis quae inde ab anno superioris seculi LXXVIII<sup>o</sup> fere triginta annorum decursu variis instituti rationibus et titulis, primo diarii, tum annualium, etiam archivi chemici, et novissimorum in ea arte inventorum in lucem edidit.

Et si verum est ut est verissimum ambiguum non raro videri fructum ex innumeris quibus nostris maxime temporibus inundamur huius generis diariis periodicis capiendum, si-

quidem ut ab una parte multifariarum et utilium rerum notitias facili negotio ex iis haurire licet, ita ab altera insitiari nequit levidense studium et quod cum Tertulliano vere superficiale dixeris, imo solidioris doctrinae neglectum mirum quantum in millenis hominibus promoveri qui unice in legendis huiusmodi ephemeridibus acquiescunt; faciles tamen dabunt periti iudices, vix ullum aliud opus menstruum opportunius et tempestivius et in suo genere utilius magisque frugiferum extitisse quam ipsa illa de quibus agimus diaria Crelliana.

Siquidem Plinii de prisca medicina effatum ad amissim quoque de chemia veteri valet, mirum et indignum videri nullam artem inconstantiorem fuisse cum sit fructuosior nulla. Imo vero nulla alia dicenda est ex disciplinis physicis quae in tanta vel ad vitam communem utilitate, in tanta luce qua ad unam omnes physices, historiae naturalis, physiologiae, technologiae, metallurgiae, artis pharmaceuticae et quot non alias doctrinas mirifice illustret, tam sero demum in rationalis et systematicae scientiae forman redacta fuerit quam chemia.

Causa tam serotinae perfectionis procul dubio in eo maxime quaerenda quod varia chemiae practicae capita fere unice a ternis artificum ordinibus, pharmaceutis inquam, metallurgis et opificibus tanquam totidem diversae plane disciplinae sive potius mechanicae encheiresium rationes tractabantur, innumeram vero a doctioribus naturae scrutatoribus inventa ad solidorem chemiam facientia, in diversis cultioris Europae linguis vernaculis scripta, magnamque partem in pretiosis multorum voluminum operibus, aut in aequae raris et paratu difficultibus paucarum plagarum libellis laterent.

Dici ergo vix potest sed primum est intellectu quam impense meruerit CRELLIUS felicissimo conatu, nova in disciplina chemica sive in Germania sive apud exteris inventa annalibus in

in partes divisis et periodice prodeuntibus colligendi, unde innumeris quorum intererat lectoribus innotuerunt et in universum mirum quantum ad studium chemiae latius propagandum contulerunt.

Neque inexpectatum primum hocce in suo genere utilissimum diarium etiam apud exterios magno plausu exceptum, imo prima eius volumina etiam anglice versa esse.

Maximam quidem partem, quod instituti ratio ferebat ex aliorum chemicorum scriptis, praesertim iis quae actis et commentariis societatum inserta erant, excerpta, aut per litteras editori nunciata erant, continebat.

Passim vero et propria observata inseruit vel nondum alias edita vel ex actis exterarum academiarum quibus ea antea miserat, iam in vernacula translata. Pertinent huc in primis experimenta super pinguibus substantiis in quibus, praeter alia utiliter observata primus evicit, sperma vulgo sic dictum cetsi Kali nubitur aequa ac alia adipum genera verum saponem formare; tum observationes de optima aetheris pharmaceutici seu acidorum edulcoratorum varias species parandi ratione; de platina non nisi vehementissimi ignis tortura liquefacienda, aliaque ad chemiam praesertim pharmaceuticam facientia utilia pericula.

Integro iam decennio CRELlius opera ista collectitia strenue et meritissimo plausu ediderat cum apud Gallos praeeunte in primis magni ingenii immortali viro Lavoisier novum plane universae doctrinae chemicae systema conderetur, quod praesertim Stahlii de phlogisto sententiae, quae hactenus chemicae theoriae tanquam pro fundamento erat, ruinam minabatur.

Vidimus tum temporis quot quantosque nova doctrina nacta sit, primo per Europam, praesertim vero inter Germanos populares Stahlii, adversarios, vidimus vero etiam longe plurimos eorum et in his principes et vere classicos antesignanos sensim

sensim in castra antiphlogisticorum ut audiebant transeuntes, et asseclarum phlogisti numerum mire imminutum, in quibus tamen CRELLIUS adeo stabilis perseveravit ut facile in mentem revocet Lucanicum illud

Victrix caussa diis placuit sed victa Catoni.

Non mirum vero diaria sua de quibus egimus menstrua in quibus quavis occasione in novam chemiam invehebat, et phlogiston strenue adhuc tueri conabatur, minori sensim plausu excepta deum plane desisse.

Nihilominus tamen tum insigne documentum laboriosi et fructuosi studii sodalis desideratissimi manebunt, tum et chemiae cultoribus plenissimi repertorii loco inservient eorum quae triginta fere annorum spatio, (eoque omnium quae historia huius disciplinae exhibit periodorum longe fertilissimo), in eo inventa sunt aut illustrata et emendata.

Alterum studiorum genus in quo excolendo ut supra iam tetigi sibi placebat noster, teleologia erat, quam quidem binis opusculis, altero iuvenili iam anno superioris seculi LXXVIII<sup>o</sup> edito, senili altero quod paucis ante obitum annis titulo Pyrrhonis et Philalethiis prodiit, defendere annis est. Ingeniosus hicce et lectu incundus liber et qui religiosum auctoris sensum spirat, novo tamen testimonio est mirae perseverantiae qua opiniones et hypotheses semel ab eo probatas et in quibus diu acquieverat, tenaciter etiam tueri studuit, siquidem, ut alia taceam, germinibus organicorum ut vocantur corporum, quae inde a prima creatione praeformata fuerint tamquam principe et primario argumento ad demonstrandam in naturali theologia divini numinis providentiam utitur.

Adeoque praeter tot aliorum meritorum memoriam singularis quoque constantiae laudem, et in historia dogmatum chemiae et physiologiae inter nuperos defensores phlogisti et germinum praeformatorum insignem et conspicuum locum tenebit.

M. 22063.



© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



**QPCARD 201**

